

admissurum lubentissime. In *psychologia rationali* omissem aliqua, nisi scriptio- nis initio proposuissem mihi cel. VVOLFII scripta metaphysica latina, vt in reliquis metaphysicae meae partibus, sic quoque hoc loco in compendio exhibere: veritates enim atque hypotheses recentiorum, quae quidem cum principiis semel firmatis in concordiam coire, adeoque systemati, quod conditur, aptari possunt, in libro, qui praelectionibus destinatur, concatenato nexu pro methodi ratione proponere, cum Auditorum commodo coniunctum mihi videbatur. *Systema* quidem *harmoniae praestabilitae* numquam se mihi probare potuit: illud tamen clare perspicueque, vt opinor, enarraui, nec quemquam, cui adparet verisimile, eapropter damno aut heterodoxiae accuso. Thesis de commercio mentis atque corporis manet facta tectaue, quocunque modo formentur hypotheses, quibus rationem huius commercii reddere conamur. Illi quidem oppido falluntur, qui totum systema Leibnizianum atque Wolfianum ad harmoniam vergere putant atque spectare praestabilitam: vt illo nutante
tota